



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Wandregisilvs. In Blandinio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## W A N D R E G I S I L V S.

*In Blandinio.*

**F**uit hic primùm sub Dagoberto Comes Palatij, erat  
 enim avus eius sanctus Arnulphus Lothariensis Prin-  
 ceps, & Metensis Episcopus. Deinde cum sponsa sua in  
 castitatem consentiens, in aliquot Monasteriis sanctissi-  
 mè vixit, denique Rotomagum famâ prædicatione &  
 sanctitate Audoëni beatissimi Episcopi vocatus, eiusdem  
 iussu à sancto Audomaro Presbyter consecratur, & ad  
 riuum Fontanellam, eiusdem nominis Coenobium lon-  
 gè celeberrimum construxit anno sexcentesimo quadra-  
 gesimo quinto, ubi sub eo Monachorum numerus ad tre-  
 centos excreuit, dictusque locus ob tanti Patroni & suc-  
 cessorum eius sanctitatem multis prædiis fuit ditatus:  
 quæcunque autem loca sanctus Wandregisilus peragra-  
 bat eadem verbis euangelicis condiebat. Caletanos qui  
 aliena rapiebant, & præter Christianum nomen bruti  
 erant, ac belluis similes, ita suâ prædicatione conuertit,  
 ut in Sacerdotibus & Monachis Christum adorarent, ac  
 venerarentur. Vitam autem præsentem in meliorem  
 commutauit, annum agens 95. Christi 664. suosque  
 successores fore præuidit sanctos viros Lantbertum Te-  
 rouanensem & Ansbertum, quorum prior beato Gene-  
 sio successit in Præfulatu Lugdunensi, posterior Audoë-  
 no in Rotomagensi. Post annos quadraginta à S. Baino  
 Episcopo, Abbe Fontanelensi translatus est, & ita inte-  
 ger ab omni corruptione cum vestimentis sacerdotali-  
 bus repertus, quasi eodem die fuisset sepultus. Cæterum  
 virgente Normannica persecuzione Boloniam est transla-

X 2 tus,

tus, eaque cessante ad D. Petri in monte Blandinio iuxta Gandauum Benedictinum Cœnobium cum sanctis Anf.  
berto & Wulframno adiectus.

## W A L B O D V S E P I S C O P V S.

*20. Apr.* **F**uit Godefridi Comitis Montium & Ioannæ Constantiop. filius, Leodiensium Episcopus in ordine  
XLVIII. miracul is claruit, & Henrici Imperatoris  
itidem Sancti fuit Cancellarius. Leodij apud Cœnobitas  
Laurentianos sepultus est, & vndecimo Kalen. Majas  
colitur.

## W A L I M B E R T V S A B B A S

*31. Dec.* **N**atus est in Iulpen Flandriæ Pago iuxta Furnas.  
Vbi primum habitauit cum eiusdem opidi Canonicis, ac de in Cameraci, dein in opido S. Quintini ser-  
uiuit nobili viro Oylardi. Postremo successit in Sylvam  
Boenij sibi ab Oy ardo traditam vbi discipulos congre-  
gans tanta vixit sanctitate, ut à Liethardo Episcopo  
Cameracensi primus creatus sit Abbas Boenensis, quod  
Monasterium quoque sancti Martini Ordinis Præmon-  
stratensis dicitur.

## W I L I B A L D V S E P I S C O P V S

*Furnis.*

*7. Julij.* **C**um sancto Bonifacio Germanorum Apostolo  
(cuius & vitam scripsit in Euangelica prædicatione  
laborans multas gentes ad Christum conuertit In Ger-  
maniam